

## DE REVELATIONE CAPITIS S. GENOVEFÆ

Tractatus S. Guillelmi abbatis Paracleti, dioecesis Roschildensis in Dania.

Ex cod. ms. 5333 Biblioth. nat. Paris. fol. 119, et Bollandio (a) die 3 jan. p. 152.

**A** NNO ab incarnatione Domini MCLXI, regnante piissimo Rege Ludovico, Regis Illustris Francorum Ludovici filio, regale per universam Galliam processit edictum, ut apud urbem Parisiensem, urbium Galliarum nobilissimam, omnes ecclesiarum prelati cum proceribus universis, de regni commoditate celebrarent concilium. Die præfixâ, ad urbem regiam omnes qui convocati fuerant convenerunt, et de honestate et regni utilitate secretius tractare coeperunt. Et quoniam maligni semper in pejus malignandi studio provocantur, ad damnationis suæ cumulum quidam prorumpentes in medium, religionis et honestatis hostes, ut gladium acutum, in sanctos Dei linguam suam armaverunt. Quid ultrà? falsa delatio regales contigit aures, quod videlicet beatissimæ virginis Genovefæ caput in ecclesia nostra non esset. Hujus rei rumoribus animus Regis aspersus valde confunditur, et obnubilatur aspectus. Consulitur tam clerus quam populus, communicatoque eorum consilio, ad ecclesiam nostram sine dilatione venitur; et ne quidem aliud caput nocte ipsâ, in capsâ quam venerabile corpus virgineum quiescebat, à fratribus poneretur, regio charactere capsâ eadem communitor.

**C** Crastinâ die \*, horâ primâ inchoante, ex Regis mandato mittuntur ad ecclesiam nostram venerabiles nostri, dominus scilicet Senonensis et Autissiodorensis sanctæ recordationis (b) antistites; venit et Aurelianensis Manasses (c) dictus, oblivione potius quam memoriâ dignus, veritatis inimicus, religionis et honestatis promptissimus persecutor, et cum eo populi copiosa multitudo. Videres tam clerum quam populum fustibus et lapidibus communatum, ut, si fortè verum esse pateret quod fuerat falsò suggestum, præsentibus et posteris nostris non esset incognitum quod in eos foret crudeliter vindicatum. Tandem de reseranda capsâ inter eos sermo conseritur, et supradictus astutissimus scelerum commentator, ut iniquitatem corde conceptam palliare virtutis imagine, lacrymis profusionibus inundatus, antiphonam de sanctissima virgine primus incepit cantare. Nec mora: de loco sancto suodomina nostra deponitur, et, amoto regiæ sublimitatis charactere, capsâ reseratur; et sanctissimæ virginis corpus, linteaminibus amotis, in oculis nostris exponitur. Integrum igitur corpus virgineum oculis diligentius perlustrantes, in laudem Dei cum incredibili exultatione prorupimus, *Te Deum laudamus* decantantes. Profunduntur uberiori lacrymæ populi, prius exitium nostrum exspectantis et minantis, sed jam exultantibus nobis congratulantibus.

**E** Et quoniam non est pax impiis, dicit Dominus; unde justus exultat et laudat, peccator confunditur et blasphemat. Scriptum quippe est: *Peccator eum venerit in profundum malorum, contemnit.* Toto itaque malignitatis suæ spiritu debacchatus Aurelianensis pontifex, mentitur caput venerandæ virginis esse sublatum, et in dolo nescio cuius vetulæ miserabilis aliud caput esse suppositum. Nec dissimulare valens iniquitatem quam corde conceperat, totus conversus ad fraudem, venit ad Regem, prædictis præsulibus relictis: ore contumaci gariens, eumdem quem superius, coepit replicare sermonem, et prædictos pontifices, quia caput prædictæ virginis non invenissent, recessisse mentitur iratos. Verumtamen quod iniquitas in ore mendacii fabricavit, umbraculum ullum non admisit. Malivolis etenim inconsultis, veritatis testis processerat ad populum venerabilis pontifex Senonensis, qualiter in

(a) Bollandi editionem pluribus in locis mancam, et supinis erratis deformatam, castigavimus et supplevimus ad fidem codicis ms.

(b) Hugo Senonensis archiepiscopus vivere desiit an. 1168; Alanus Autissiodorensis episcopus eodem anno se pontificatu abdicavit, et ultra annum 1183 vixit. Unde, cum eos sanctæ recordationis viros dicit Guillelmus, longe post rei gestæ tempus hunc tractatum edidisse videtur.

(c) Manasses de Garlanda, Aurelianensis epis-

copus ab anno 1143 usque ad an. 1183, apud omnes fere illius ævi scriptores male audit. Vide quam in eum expostulationem miserunt ad Alexandrum Papam canonici Aurelianenses, apud Chremum, t. IV Rer. Franc. p. 677, et t. X Concil. Labbei, col. 1337. Ludovico tamen Regi acceptissimus fuit, cuius episcopi honoratam personam in nostre gratiae familiaritatem speciali prærogativa suscepimus, inquit ille diplomate dato an. 1137, inter instr. Gallie Christ. t. VIII, col. 513.

*Num. 1.*  
Falso rumore  
sparsò subla-  
tum caput S.  
Genovefæ.

Res ex Regis  
mandato in-  
vestigatur.  
\* Die 10 jan.

*Num. 2.*  
Mendacis Au-  
relianensis  
episcopi.  
Prov. xxviii. 3.